



Chili.

<https://hdl.handle.net/1874/430096>

DESCRIPTION CHILI.

Franciscanorum, & Mercenariorum. Portus urbis sinus est ac maris diverticulum, cui insula ad arcendas maris tempestates, veluti pro vallo, objecta est. Oppidanos quotidie infestant Arausiacani, omnium Chilensium pugnacissimi, nec artium militarium prorsus rudes: quo fit, ut Rex hic praesidia militum alere cogatur; nihilominus tamen oppidum jam aliquoties à barbaris interceptum & dirutum fuit. Continenti hic adjacet insula S. Mariae, quam Hispani ægerrime adversus barbaros tuentur.

De los Infantes. Urbem *Villanueva de los Infantes*, sive *de los Confines*, coloniam fecit *Garcia de Mendoza*. Ab urbe *Conception* 16 abest leucis, 8 vero à montibus *Andes*. Cœnobium habet Dominicanorum & Franciscanorum. Contermini sunt hujus urbis finibus Indi, qui bello ac armis ditiones suas tuentur, ideoque non nisi magno praesidio militum adversus barbaros hosce urbs defendi potest. Per mediam urbem labitur fluvius praestantissimus *Biobio*, aliique in hunc effusi, uti & fluvius *Nivequeten*.

La Imperial. In civitatem *La Imperial* colonos duxit P. Valdivia, anno 1551. altitudinem attingens grad. 39. tribus à mari leucis. Est hic cathedralis Ecclesiae sedes, uti & Cœnobium Franciscanorum & Mercenariorum. Ditionis suae ambitu plus quam 8000 Indos habet, aliosq; in his tractibus militiae operam dantes. Praeterlabitur eam fluvius *Cauten*, per quem in ipsum mare navigatur, licet portum habeat minus securum. Metropolis est secundi Episcopatus regni Chilensis. Ager ejus idoneus est ad ferendam segetem, ineptus ad vina, quae hic ad maturitatem vix perveniunt. Pascua habet alando pecori commoda, sed lac minus bonum praebent vaccae.

Villa Rica. *Villa Rica* 20 aut circiter leucis à mari, ad lacum jacet *Mallabanquen*, qui fluvio se in mare exonerat, nomen illi *Rio de Tolton*. Fons in urbe est gemina ebulliens scaturigine, adeo crassa, lataque, ut humani corporis crassitiem adaequet. Pinos fert, quas Hispani vocant *Pimones de Libano*. Coloniam quoque fecit idem Valdivia.

Valdivia. At urbs *Valdivia* pene medio loco sita est, inter Chiles terminum Borealem, & Fretum Magellanicum, in regione, quam vocant *Guadalanquen*. duabus à mari distat leucis, ab urbe *de la Concepcion* 50. Tractu sita est fertili, & tritici ac aliorum leguminum feraci. Pascuis insuper luxuriat, at vino caret. Merces per fluvium *Valdiviam* vehuntur, qui prope eam labitur. Auri quoque praestantissimi dives est. Per commodum habet portum, qui facili negotio communi possit. Excisum aliquando à barbaris fuit, sed ab Hispanis restauratum.

De Osorno. Urbs *de Osorno* 7 à mari leucis, in regione frigidiuscula, sed auri divite. Colonia est *Garcia de Mendoza*, Cœnobium habet Dominicanorum, Franciscanorum, necnon Monialium. Territorio suo continet Indos 20000.

Castro. Denique *Castro*, Indorum lingua *Chilue*, quadraginta tribus aut quatuor gradibus ab Aequatore, in medio Insularum, quae hic per ingentem lacum, quem vocant *Ancud*, sparsae. Deducti huc sunt coloni, quo tempore regnorum Peruviae imperium habebat Licentius *Lope Garcia de Castro*.

Archipelagus. Archipelagus vero Insularum 42 leucis abest ab urbe *Osorno*, quarum maxima longa est leucas 50, lata duas, alicubi novem. Mare intercurfat illas usque montes *Andes*. Regio est montibus & collibus aspera, tritici mayzique ferax, & quod rarum est, in ipso littore auri fodinas habet.

Series portuum, promontiorum, sinuum, fluviorum littoris Chilensis à grad. alt. Australis 26 ad 43, hæc est.

Sinus & Vallis *Copiapo*.
Fluvius *Gnafo*.
Insulae *de Totoral*, *Muxillones*, *de Paxares*.
Fluvius *Toral*.
Sinus *de Coquimbo*.
Sinus *de Tongoy*.
Fluvius *de Limara*.
Promontor. *del Governado*.
Fl. *la Liana*.
Fl. *Topocalma*.
Promontor. *de Corona*.
Fl. *de Maypo*.

Fl. *Cachapool*.
Promont. *de Bairres*.
Fl. *de Loro*.
Fl. *Mauque*.
Prom. *de Homas*.
Fl. *Yrata*.
Promont. *de la Herradura*.
Sinus *de Penco*.
Prom. *de Biobio*.
Insula *de S. Maria*.
Fl. *Labapi*.
Fl. *de Lebo*.
Prom. *del Carnero*.

Insula *La Mocha*.
Fl. *Tolten*.
Sinus *Quenle*.
Promont. *de Galera*.
Fl. *Bueno*.
Prom. *de Valdivia*.
Prom. *S. Marcelo*.
Prom. *de Chanqui*.
Golfo *de los Coronados*.
Prom. *de la Valena*.
Prom. *Feliz*.

DESCRIPTION
CHILI.



CHILI provincia ultra Tropicum Capricorni sita est, inter Peruviam & Patagonum regionem, quarum hæc Meridiem, illa Boream spectat. Ad Occidentem habet mare Pacificum, quod hujus provinciae & Chinenfis imperii littoribus immenso spatio intercluditur. Pluvias, fulmina, & totius anni mutationem sentit, distinctis intervallis, haud aliter ac Europa: nisi quod illic æstas est, cum nobis est hyems, mutatis rerum vicibus. Polus Antarcticus observatur ex nubeculae cujusdam albæ circumactione, cujus peripherias centrum polum constituit. Regio omnis partim maritima est, partim montana: quæ pars mari vicinior est, ea magis calet. Magna hic pecudum & struthionum frequentia. Fructus, qui ex Hispania allati hic feruntur, facile crescunt. Fluvii plerique ob indomitum frigus noctu concresecunt, interdum vero decurrunt soluto gelu. Incolis vasta & firma moles corporis, membra compacta, animus bel-laturiens; arma habent arcum & sagittas; vestem, pelles ferarum, & luporum marinarum.

Extenditur à Septentrione in Austrum leucas 500, ad Fretum usque Magellanicum pertingens. ab Oriente vero in Occidentem, sive à mari Pacifico ad mare usque Atlanticum leucas 400, & subinde 500. Verum tamen si provinciam Chiles strictius sumas, prout ab Hispanis culta ac inhabitata est, non nisi leucas trecentas secundum longitudinem patet: in latitudinem autem viginti & non raro pauciores, ubi *Cordillera los Andes* excurrunt, montes longo tractu protensi, perpetuisque fere nivibus operati. Quamquam vero, uti dictum, harum provinciarum varia sit tem-peries, vicesque suas ex experiantur, propter altitudinis polaris, cui coextenduntur, varietatem, nihilominus nulli Indiarum parti aeris ac cœli clementia cedunt, nulli incolarum frequentia, eadem fere sita, (ex opposito) qua *Castella*, graduum altitudine. Quin com meatus omnis copia, rerumque omnium affluentia, fodinarum, aliorumque metallorum opulentia, indigenarum robore & agilitate, cum aliis Indiae tractibus certat. Gens utpote bellis affueta, difficulter se in ordinem cogi passa fuit. Quin & hodie belligerantur, qui montes, & ea loca inhabitant, ubi *Cordilleras* terminantur, in provinciis *Arauco*, *Tucapel*, & valle *de Puren*, interjecta inter urbem *Concepcion* & *los Confines*, & *La Imperial* civitatem.

Vbi Peruanæ contermina est Chili, vallis est *Copiapo*, quod vocabulum Indorum lingua agrum *Iaspidium* significat: in valle siquidem vicina mons est, è quo lapis iste copiose eruitur, qui quod facile istuc haberi possit, minoris censetur pretii. Hanc vallem excipit in littore 35 leucarum intervallo alia *Guafo* dicta, sita altitud. grad. 29. Huic proxima est vallis *Chile*, omnium, quotquot hoc tractu sunt, laudatissima, ob quam causam provinciae universae nomen fecit. Hic olim divites erant auri fodinae, quas *de Quillota* vocabant, è quibus *Valdivia* tantas opes thesaurisque abduxit.

Prima vero civitas, Peruanæ proxima, ab Hispanis *La Serena* vocatur, exstructa à *Valdivia* Gubernatore Chiles, anno 1544 in valle *Coquimbo*, non longe à littore maris Australis. Longissimus hic dies horas numerat 14 die undecimo Decembris: totidem horas longissima nox undecimo Junii. Perhibet in sua harum regionum descriptione *Lopes Vaz*, domicilia in hac urbe numerari ducenta. Cui rei fidem facit, quod, cum huc appulisset *Franciscus Draeck*, ac Anglorum aliquot in terram exposuisset, trecenti illicet in armis equites, peditesque ducenti fugam illos capessere coegerint. Rari eam irrigant imbres, nec nisi ter quaterve in anno hic pluit.

Civitas *S. Iacobi*, Hispanis *S. Iago* dicta, totius provinciae metropolis est; prima Chilensis colonia, quam condidit *Petrus de Valdivia* anno 1541, altitudine jacet grad. 34½, à mari abest 15 leucis, 10 insuper à valle Chiles; Sedes est Ecclesiae Cathedralis, & Cœnobiorum Ordinis Dominicanorum, Franciscanorum, & Mercenariorum. Loco sita est tritici, vini, aliarumque rerum feracissimo, necnon auri fodinis opulentis celebri. Indos tributarios habet plus quam 10000, in viginti sex vicis ac tribus distinctos. Inservit civitati huic Portus *de Valparaiso*, ad ostium fluminis *Topocalma*, qui urbem ipsam praeterlabitur.

In Provincia *Chucuito*, ultra *Cordilleras de los Andes*, ita montes istos vocant, sita sunt tractu frigido & sterili urbes *de Mendoza*, & *S. Iuan de la Frontera*, in quas colonos deduxit *Garcia de Mendoza*. Oppidum *de Mendoza* in eadem est cum *S. Iago* altitudine, ab ea leucis distans 40. Ad illam via patet per ipsos *Andes*, sed propter objectas perpetuo nives molestissima. Urbs *S. Iuan de la Frontera* ad Australem plagam urbis *de Mendoza* est.

Urbs *La Concepcion* ad littus jacet maris Pacifici. Colonos accepit Duce *Petro de Valdivia* anno 1550. Resident hinc Gubernatores, ex quo tempore abrogata fuit suprema Audientia sive Curia, quæ hic ab anno 1567 ad annum usque 1574 obtinuit. Cœnobium habet Dominicanorum,

AMERICA.

O

Franci-